

furto sublatum, tenetur ad restitutionem pretii, etiam si quicumque demum ratione non amplius esset possessor horologii. *Qui dubitans, rem esse furtivam, nihilominus illam sibi emit, inquit Sylvius in 2. 2. q. 62. art. 6. quæsit. 3. concl. 1. peccat mortaliter. Et tenetur diligenter inquirere, an vere furtiva sit: quo comperito debet eam cum fructibus etiam consumptis restituere illi, ad quem pertinet: neque potest eam venditori redde-
dere Pontas.*

CASUS LXXIV. Tullius jam ante decem annos furatus est cuidam mercatori 1000. imperialas, quos hucusque non restituit, licet facile potuisset. Ast nunc tandem restituere cogitat; sed quærit, num etiam censum annuum pro istis decem annis persolvere teneatur, ab eo tempore scilicet, quo furtum commisit.

¶ Si Tullio constat, quod sua restituendi mora mercatori damnum intulerit 750. florenorum, quam summam census annuus pro 1000. imperialibus per decennium conficit, tenetur etiam una cum summa ablata restituere censum decennalem. Si vero mercatori ex ablati lucris decessit, nec quidpiam damni emerit, & Tullius ante hoc tempus restituere non potuisset, sufficit restitutio solius summæ principalis. *Pontas.*

CASUS LXXV. Didacus cujusdam camporis numerator, cum per furta minuta sæpius repetita in consuetis solutionibus modo unum, modo duos, nunquam tamen ultra quatuor vel quinque crucigeros, sibi retinisset, notabilem factis summam corrasit, & hoc non obstante sub pœna peccati mortalis ad restitutionem se haud teneri arbitratur ex hisce rationibus. 1. Quia nulli privatorum utpote divitum tantum damni intulit, ut sub pœna tam gravi ad restitutionem obligari possit. 2. Quia nullus læsorum præsumendus est habere intentionem exigendi restitutionem rei tam exilis sub pœna adeo gravi. 3. Quia foret impossibile debitam omnibus facere restitutionem; cum non amplius sciret quinam læsi fuissent. Sufficiuntne hæ rationes ad eximendum Didacum a restitutione?

¶ Rationes istæ nec ab obligatione restituendi eximunt Didacum, quæ per furta hæc minuta acquisivit, nec a peccato mortali, ni restituat. *Prima ratio* prorsus debili nititur fundamento; nam licet quis in particulari non adeo graviter damnificatus fuerit, ut sub gravi peccato exigi possit restitutio, omnes tamen damnificati simul sumpti certe notabile damnum passi sunt. *Secunda ratio*, quæ primæ inni-

titur,

titur, ejusdem debilitatis est: licet enim quis privatus per furtum minutam læsus in particulari non habeat animum sub peccato mortali obligandi Didacum ad restitutionem, indubitatum tamen est, quod taliter læsus, si sciret, Didacum per ejusmodi furta minuta sæpius repetita fuisse locupletatum, sub gravi obligatione restitutionem sibi fieri vellet, idque exigente bono publico. *Tertia ratio* omnino nulla est; quia, dum damnificati non noscuntur, restitutio fieri debet Ecclesiæ vel pauperibus. *Pontas.*

NOTA. Obligandus est ex rationabiliter præsumpta mente damnificatorum, & ex mente Christi exigentis prudentem usum clavium, ne foveatur impunitas scelerum, ut successive male parata expendat in causas vere pias, designando summam annuam viribus pœnitentis proportionatam.

CASUS LXXVI. Protogenes unum agri jugerum a vicino suo conitum ita destruxit, ut vix quidpiam fructus tempore messis inde retulerit. Teneturne vicino tantum restituere, quantum fructus ex hoc jugero sperari poterat; & quidem in eo valore, quo frumentum tempore messis stetit?

¶ Juxta S. Thomam in 4. dist. 15. q. 1. art. 5. quæstione. 2. ad 4. non tenetur restituere tantum, quantum frumenti ager absolute proferre potuisset; quia ex variis calibus accedere potest, ut ager speratas fruges non pariat. Tenetur tamen restituere tantum, quantum ager ita conitus juxta æstimationem viri prudentis ac æqui & agriculturæ periti arbitrari consideratis omnibus circumstantiis verosimiliter protulisset. *Pontas.*

NOTA. Non solum valor spei, sed etiam impotentia recuperandæ spei in agricola paupere aliis frumentis & simul pecuniis destituto compensari debet.

CASUS LXXVII. Geraldus viri nobilis famulus per anni spatium plures vini lagenas ex cella heri sui furrupuit, easque cum focis suis consumpsit. Teneturne restituere valorem vini?

¶ Quando res aliena consumitur mala fide juxta D. Thomam Quod. 12. art. 25. C. semper datur obligatio restituendi. Hinc Geraldus ejusque focii furti complices tenentur restituere valorem vini. *Pontas.*

Vide Cas. 95.

CASUS LXXVIII. Anselmus abstulit Nicasio agricolæ quinquaginta modios frumenti optimi, quod ad conferendos agros suos erat; & hinc non nisi frumento longe deteriori agros conferere potuit, quo factum, ut fructuum quartæ

S 4

parte

parte minus collegerit, quam collegisset ex frumento ablato. Teneturne Anselmus restituere non solum justum quinquaginta modiorum pretium, sed etiam quartam partem fructuum, quam ex defectu melioris sementis colligere non potuit? Aut si Nicasius agros omnino conferere non potuisset, an Anselmus teneretur restituere præter quinquaginta modios omnes fruges inde producendas?

ꝑ. Absque dubio in utroque casu Anselmus tenetur ad plenam ac totalem restitutionem non solum rei ablatæ, sed & ad integram compensationem totius damni ex ablatione Nicasio emergentis. *Pontas.*

CASUS LXXIX. Michael, Protasius, Simeon & Victor ex condicto & collatis consiliis Basilio abstulerunt 200. imperialia, quos Victor apud se depositos servat. Basilius probe gnarus, Victorem, cui plurimum erat obstrictus, esse e numero farum, remisit illi roganti intuitu obsequiorum olim sibi ab eo præstitorum obligationem restituendi. An per hoc & reliquis obligatio restitutionis remissa esse censetur?

ꝑ. Ille, qui rem furto ablatam possidet, tenetur ad restitutionem ante alios complices, qui omnes una cum ipso in solidum obligantur. Hinc si damnificatus rem ablatam possidenti remittat obligationem restituendi, eandem & reliquis delicti focis remisisse censendus est. *Si ex pluribus obligatis uni accepto servatur, inquit lex Si ex pluribus 16. ff. Lib. 46. Tit. 4. non ipse solus liberatur, sed Et hi, qui secum obligantur. Nam cum ex duobus pluribusque ejusdem obligationis participibus uni accepto fertur, cæteri quoque liberantur: non quoniam ipsis accepto latum est, sed quoniam velut soluisse videtur is, qui acceptilatione solutus est. Pontas.*

NOTA. Rationabiliter præsummi potest, Basilium noluisse deobligare tres alios a sua obligatione solvendi in solidum tres partes damni. Lex ethnica disponit pro foro externo, sed pro foro interno legem faribus ponit sola intentio damnificati.

CASUS LXXX. Tribonius regimini civitatis præfectus recipit a Metello fundorum ad civitatem pertinentium conductore donum 100. imperialium, eoquod occasione novæ locationis pretium ejusdem annuatim persolvendum 250. florenis diminuerit. Potestne Tribonius retinere hoc donum? An non tenetur ad aliquam restitutionem civitati aut Metello conductori præstandam?

ꝑ. Si diminutio Metello concessa justa est, Tribonius eam debuit gratis concedere, & tenetur restituere donum Metello: Tribonius enim est quasi iudex & arbiter in designan-

do pretio locationum a civitate constitutus; juxta S. Augustinum autem Ep. 153. non debet iudex vendere iudicium. Si autem concessa diminutio injusta est, non solum tenetur restituere donum, sed etiam reparare damnum per dictam diminutionem civitati illatum. *Pontas.*

CASUS LXXXI. Romanus Capitaneus navis merratorix cum portui jamjam appropinquans ex mera parsimonia rectorem navis adhibere nollet, ea ad scopulum allisa est, & inde Hjeronymo & Basilio, quorum mercibus navis onusta erat, damnum illatum est plusquam 1000. imperialium. Num refarcire tenetur Romanus hanc jacturam?

ꝑ. Quilibet navarchus tenetur de damno ex defectu experientix suæ aut industrix emergente. *Si magister navis, ait Lex Item. 13. §. 2. ff. Lib. 19. Tit. 2. sine gubernatore in flumen navem immiserit, Et tempestate orta temperare non poterit, Et navem perdidit, vectores habebunt adversus eum ex locato actionem.* Tenetur igitur Romanus reparare damnum culpa sua illatum. *Pontas.*

CASUS LXXXII. Casparus furatus est patinam argenteam in domo, quam frequentabat, eamque deaurandam curavit, ne eadem esse noscatur. Teneturne eandem patinam licet deauratam restituere, an tantum ejusdem valore?

ꝑ. Si res furto ablata extat adhuc in natura, eadem ipsa debet restitui juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 5. ubi ait: *Restituere nihil aliud esse videtur, quam iterato aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suæ.* At vero si ejusmodi res fuerit meliorata, ut in præsentis casu, sufficit restituere valorem rei. *Pontas.*

Vide cas. seq.

CASUS LXXXIII. Columbanus abstulit Claudio horologium pendulum sonans, cujus motus ad biduum durabat, quæ tamen rotulæ contractæ erant. Columbanus vero rotulas novas fabricari, motumque ad dies quindecim extendi curavit, imo & tabulam horariam ac cardines deaurari fecit. Potestne, dum horologium restituit, factas expensas repetere a Claudio?

ꝑ. Tria distinguenda sunt expensarum genera, nimirum *necessariæ* ad conservationem rei furto ablatæ, *utiles* non tamen *necessariæ*, & *voluntariæ* ad proprium placitum, seu *voluptuariæ*. His suppositis censetur, Columbanum posse exigere expensas factas in duas rotulas utpote necessarias, & in prolongationem motus tanquam rem utilem, non autem expensas factas in deurationem, utpote rem mere voluptuariam, & fors superfluum. Hæc vero dicta locum non ha-

berent in casu, quo Columbanus ad amittendas omnes expensas judicialiter condemnatus fuisset, cui sententiæ teneretur se submittere tanquam poenæ propter furtum perpetratum jure promeritæ. *Pontas.*

CASUS LXXXIV. Afcanius subreptum Lambertino pallium coccineum vendidit Ægidio pro 15. florenis, qui per tres menses eo usus optima fide denuo illud vendit cuidam amico pro 22. florenis. Comperit autem postea Ægidius, dictum pallium Lambertino fuisse furto sublatum; hinc quaerit, an non per bonam fidem, qua pallium emerat, ac denuo venderat, ab omni restitutione eximatur.

ꝑ. Non obstante bona fide Ægidius tenetur Lambertino restituere septem florenos, quos ex venditione pallii lucratus est: hoc enim lucrum injustum est & repugnans juri naturali. Si quis, ait Caballutius L. 6. c. 17. n. 8. dum bona fide possidebat rem alienam, alteri vendiderit, ad id solum tenetur, quod amplius accepit juxta S. Thomam. Et si Ægidius ab Afcanio gratis accepisset pallium, integrum pretium ex venditione redactum, scilicet 22. florenos teneretur Lambertino restituere. *Pontas.*

CASUS LXXXV. Alphonfus Tribonio advocato abstulit 50. volumina in folio Salmurii reposita, eaque Burdigalam misit, quo ipse profectus est, ibi domicilium fixurus. Teneturne hæc volumina propriis sumptibus Salmurium remittere?

ꝑ. Absque omni dubio tenetur ad hoc. *Redintegranda sunt omnia expoliatis, & in eo loco, unde abscesserant, funditus revocanda.* Can. *Redintegranda.* 33. q. 1. Aliud dicendum foret de eo, qui invenit rem pertinentem ad alium, aut quidpiam alienum bona fide possidet: talis enim non tenetur ad expensas in restitutionem faciendas. *Pontas.*

CASUS LXXXVI. Theonillus ovem Cornelio abductam gregi suo adjunxit, quæ postea agnellos genuit. Teneturne in conscientia ovem una cum agnellis restituere?

ꝑ. Tenetur omnino juxta Cœlestinum III. Cap. *Gravis.* II. Lib. 2. Tit. 13. Nam ovis est res fructificans, cujus fructus dominus ovis percepisset, si sublata non fuisset: interim tamen deduci poterunt expensæ in nutritionem ovis & agnellorum factæ. *Pontas.*

CASUS LXXXVII. Attalus Germano furatus est 500. florenos, & 1000. florenos debet Theodoro; atq; tota ejus substantia ad 1000. duntaxat florenos sese extendit. Cuinam horum prius solutio fieri debet?

ꝑ. Justitiæ conformius est prius bonum ablatum restituere quam debita persolvere. Hinc Attalus prius tenetur Germano restituere ablato 500. florenos, & dein dimidiam partem debiti solvere Theodoro: non enim licet contracta debita expungere ope æris alieni; & propriis bonis ad debitorum solutionem non suppedentibus, nulla datur coram Deo solvendi obligatio. Cajetanus in Sum. v. *Restitutio.* c. 8. n. 5. existimat, quod si lex aut consuetudo loci aliud statuerit, eidem sese conformare oporteat. *Pontas.*

NOTA. Consuetudo non potest reddere licitam occultam retentionem alienorum: cum enim occulta sit, non potuit illi unquam conformiter accedere consensus legalis Principis. Lex justa autem talia permittere nequit, nisi causa maximæ necessitatis publicæ, quæ utrum versetur in non nullis loteriis ad furtiva privilegiatis, examina- bit Deus.

CASUS LXXXVIII. Viſtricius furatus est triginta aureos Mauritio, viginti Joanni, quinquaginta Geminio, centum Mario, & Proculo centum. Omnia hæc per furtum acquisita jam consumpsit, exceptis centum aureis Proculo ablati. Jam vero pro viribus restituere cogitat; hunc in finem vendidit residuam, quam habebat, suppellectilem pro centum aureis. Cum vero hæc summa addita centum aureis Proculo surreptis, quos adhuc possidebat, ducentos tantum efficiat aureos: sicque centum adhuc deficient ad totalem restitutionem, quaerit, qua ratione restitutio sit inter illos dividenda.

ꝑ. Præ aliis restituendum est Proculo, cujus centum aureos adhuc possidet, de quibus nil competit cæteris. Residui centum aurei dividendi sunt inter reliquos, juxta proportionem tamen damni per furtum illati. *Pontas.*

NOTA. Cum agatur in foro interno ad mentem solius Dei, ordo restitutionis, deductis prius iis alienis, quæ in individuo vel in æquivalenti extant, regulandus esse videtur secundum primam regulam omnium obligationum erga proximos mere personalium, nempe secundum ordinem charitatis divinæ & humanæ. Nec obstat, quod lex civilis circa creditores non privilegiatos juxta rationem debitorum æqualiter dividat damna: ea enim ad vitandas lites sic disponit non attenda prioritatem creditorum, aut lege charitatis internæ. De cætero hic ordo restitutionis non convenit cum regula occurrente ad cas. 91.

CASUS LXXXIX. Donatus convenit cum quodam milite de remuneratione viginti imperialium, si Petrum inimicum suum egregie fustibus exciperet. Miles id executus petit a Donato promissam pecuniam, sed decem tantum obtine-
re

re potuit imperiales. An tenetur Donatus etiam reliquos decem persolvere? Num miles promissas pro ejusmodi executione pecunias retinere potest?

R. Nec Donatus tenetur implere promissum, nec miles acceptos decem imperiales salva conscientia retinere potest; cum hæc inter utrumque conventio adferatur legi naturali, divinæ, ecclesiasticæ ac civili. Decem imperiales autem nequaquam restitui debent Donato, sed pauperibus, aut applicari in alias causas pias: Donatus enim, qui has pecunias pro actione præva dedit, æque iis privari meretur ac miles, qui eas pro peccato recepit; cum uterque peccaverit contra iustitiam & contra charitatem. Sic sentiunt S. Thomas & S. Antoninus. Concordat & lex *Ubi autem*. 3. ff. Lib. 12. Tit. 5. *Ubi autem & dantis & accipientis turpitudine versatur, non posse repeti dicimus; veluti si pecunia detur, ut male iudicetur.* Pontas.

NOTA. Hæc recte dicuntur, quamvis contra communem; circa leges enim naturales Deus nos iudicabit non juxta opiniones auctoritatis extrinsecæ, sed juxta legem inscriptam cordibus.

CASUS XC. Laurentius furatus est Theotimo 500. florenos, qui inde ad gravem redactus est paupertatem, & totidem Fabio viro diviti. Jam dimidiam solum ablatorum partem restituere potest. Quinam ipsi ordo servandus?

R. Juxta S. Thomam Opusc. 73. c. 18. restituere tenetur ablata Theotimo utpote egenti, postposito Fabio jam aliunde opulento. Pontas.

CASUS XCI. Nicolaus furatus est 10. florenos Gabinio & totidem Titio, utriusque prorsus æqualiter vel pauperi vel diviti. Quomodo facienda est restitutio a Nicolao, qui non nisi dimidiam ablati partem restituendo est?

R. Si neuter damnificatorum restitutionem exigat, restitutio facienda est illi, cui prius furatus est Nicolaus: sic enim jus naturale exigit. Verum si alter, cui Nicolaus posterior furatus est, restitutionem petat sive judicialiter sive privatim, hic in restitutione præferendus foret; quia *vigilantibus jura subveniunt*. Si uterque versaretur in necessitate extrema, restitutio inter eos æqualiter dividenda foret. Pontas.

NOTA. Sola prioritas petitionis dependens a contingente concursu circumstantiarum non potest tribuere prioritatem juris in foro interno.

CASUS XCII. Remigius miles abstulit Martino equum, quem mense Septembri pro triginta aureis emerat, eum retenturus usque ad Martium, quo tempore, cum equi pro exercitu coemerentur, non dubitabat, se quinquaginta aureos pro eo obtenturum. Teneturne Remigius restituere Martino non solum triginta aureos, queis equum emerat, sed & illos viginti aureos, quos ex venditione equi brevi lucrari potuisset?

R. Haud dubie in conscientia tenetur Remigius non solum restituere triginta aureos, sed etiam reparare Martino lucrum, quo ipsum privavit, deductis tamen expensis & periculo. *Si vero sint res, quæ ablatae sunt, ait S. Thomas Opusc. 73. de Usur. c. 20. quæ ex sui natura possunt secundum naturam temporis augeri & crescere in pretio; tunc tenetur spoliator restituere pretium ipsarum rerum, quod valituræ erant secundum naturam rei & temporis.* Pontas.

CASUS XCIII. Andreas, Ægidius, Ludovicus & Bertinus abstulerunt omnes fructus ex horto Oliverii. Andreas erat principalis author furti, & omnium maxime reus: interim tamen Oliverius condonavit Andree obligationem restituendi. An per hoc etiam reliqui ipsius complices sunt pariter deobligati a restitutione?

R. Si complices sublatos fructus non detinent, censendi sunt & ipsi deobligati a restitutione, præsertim si Oliverius Andree ostendisset, eodem etiam erga complices se esse animo. Quisquis vero eorum ablatos fructus apud se detineret, teneretur eos restituere. Item si reliqui tres fructus furati fuissent ex mandato aut commissione Andree, & Oliverius illis condonasset restitutionem, Andreas propterea non excusaretur ab obligatione restituendi, saltem nisi Oliverius generalem condonationem restitutionis eis impertitus fuisset. Pontas.

Vide cas. 79.

CASUS XCIV. Felix & Godefredus abstulerunt Flaviano horologium argenteum, illudque vendiderunt Norberto, qui noverat, horologium esse furto sublatum. Quisnam ex his tribus tenetur restituere?

R. Authores furti solum tenentur ad restitutionem, si Norbertus non restituat, qui mala fide possidet horologium. *Si sciens emeris rem furtivam, domino teneris restituere, etiam cum iactura soluti a te pretii.* ait Caballutius L. 6. c. 23. n. 4. Pontas.

CASUS XCV. Blefilla cujusdam mercatoris famula cellararia singulis septimanis duas vini mensuras surripit, easque servo

servo mercium tabernæ præfecto porrigit præter portionem ordinariam illi debitam. Quisnam eorum tenetur ad restitutionem? an famula, quæ abstulit? an servus, qui vinum ablatum consumpsit?

ꝑ. Servus, qui vinum hauserat; tenetur primus ad restitutionem. Ratio est; quia ille, qui rem mala fide consumpsit, considerandus est, ac si etiamnum possessor foret: *Pro possessore habetur, qui dolo desit possidere* Reg. jur. 36. in 6. Si autem hic non restituat, ancilla restituere debet. Una parte valorem ablati restituente, altera ad nullam amplius restitutionem tenetur. Observandum tamen, quod si Blefilla fecisset restitutionem, & servus illi promississet indemnisationem, hic ad eam præstandam in conscientia obligaretur. *Pontas.*

NOTA. Si furtum non contigit ex mandato vel instinctu servi, prius ad restitutionem obliganda videtur Blefilla authrix furti, quam participans. Vide cas. 77.

CASUS XCVI. Fullonius abstulit Joanni argenteum atramentarium, quod postea donaverat Titio probe gnaro, illud fuisse furto sublatum; & Titius paulo post amisit atramentarium. Quis amborum tenetur ad restitutionem?

ꝑ. Ambo in solidum obligantur ad restitutionem Joanni faciendam, qui habet jus conveniendi, quemcumque voluerit. Fullonius tenetur restituere ratione *injuriousæ acceptationis*, & Titius ratione *rei acceptæ*, ut loquitur S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 6. ad 1. Beneficium discussionis, quo uti possunt in solidum obligati ad debitum civile, si eidem non renunciant, nunquam se extendit ad debita contracta per delictum. *Pontas.*

NOTA. Prius tenetur restituere author furti quam participans v. g. donatarius, si neuter possideat rem: hic enim ordo restitutionis distinctante lumine naturæ agnoscitur ab authoribus. Vide cas. 72.

CASUS XCVII. Flaminius ante quinque vel sex annos Cæsari hero suo abstulit 20. dupliones Gallicos. Sincera autem tandem poenitentia ductus hanc pecuniæ summam dedit confessario suo, ut redderet Cæsari. Confessarius postmodum ingressus, ut pecuniam deferret ad Cæsarem, cum navigio flumen traiceret, in aquas ejectus ac submersus est; sicque casu fortuito & pecunia periit. Teneturne Flaminius alios 20. dupliones Cæsari restituere? An semper ad id teneretur in simili casu, si sæpius accideret?

ꝑ. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 6. C. obligatio ex delicto non tollitur, donec res restituenda pervenerit in manus domini sui. Hinc Flaminius obligatur ad restituendos Cæsari alios viginti dupliones; & hoc in omni alio casu simili toties, quoties accideret. Aliud dicendum foret, si ipse Cæsar designasset confessarium pro facienda restitutione. *Pontas.*

NOTA. Quamvis confessarii non sint mandatarii constituti a dominis damnificatis; videntur tamen ad hoc admittendi tanquam iudices constituti a Deo, & tacite acceptati a populis. Quis autem debitorum conveniatur de novo, si pecuniam deposuit in manus iudicis?

CASUS XCVIII. Ruffina defuncto marito, ex quo prolem non susceperat, ex bonis utriusque parti communibus clanculo subtraxit crumenam 500. florenos continentem, & ornatum muliebrem 200. florenis constantem adjuvante Angelica affine sua, cui in remunerationem decem dupliones dederat. Potestne confessarius obligare Angelicam ad ampliorum restitutionem quam decem duplionum?

ꝑ. Angelica a confessario non solum obliganda est ad restituendos decem dupliones, quos in remunerationem operæ ad furtum præstitæ receperat, sed etiam ad reparationem totius damni hæredibus defuncti per hoc furtum illati: cum enim non minus fuerat causa furti ac ipsa Ruffina, cum ea in solidum obligatur ad restitutionem, ita, ut si Ruffina non velit aut non possit restituere, ipsa teneatur ad totum. Si autem plus restituere non possit, quam quod percepit, obliganda saltem est a confessario, ut omni modo possibili urgeat Ruffinam ad restituendam reliquam partem. *Pontas.*

NOTA. Imo tenetur Angelica denunciare complicem, si præmonita nolit restituere, procurata tamen prius sibi impunitate; vel saltem comminatione denunciationis ad restitutionem adigenda est.

CASUS XCIX. Gunebaldus agricola frumentum ablaturus vicino suo jussit pastorem suum scalam asserre, eamque sustentare, ut in horreum facilius eluctari posset, ac interea fideles servare custodias, ne in flagranti deprehenderetur. Id omne executioni datum, & Gunebaldus repetitis vicibus duodecim frumenti modios abstulit; ac post aliquot menses subitam mortem oppetit, nulla facta restitutione aut dispositione, ut restitutio fiat a suis liberis. Teneturne pastor ad restitutionem, qui non nisi metu suum amittendi servitium adactus hero suo operam præstitit?

β. Pastor hic vere cooperatus est furto, quod commisit herus ipſius; & hinc tenetur ad reſtituendum ablati frumenti pretium. *Ad reſtitutionem tenetur aliquis*, ait S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 7. *non ſolum ratione rei alienæ, quam accepit, ſed etiam ratione injurioſæ acceptionis. Et ideo quicumque eſt cauſa injurioſæ acceptionis, tenetur ad reſtitutionem. Pontas.*

NOTA. Obligandus eſt ad monendam uxorem ac liberos ſub comminatione denunciationis judicialis, ut reſtituant.

CASUS C. Natalis occulta clave inſtructus ad reſerendam Flori vicini ſui cellam vinariam intra ſex meſes abſtulit integrum fere dolium vini optimi pluries amicis ſuis propinati, qui nullam de furto habebant notitiam. Florus detecto Natalis furto criminalem illi proceſſum intentavit, qui autem rem advertens relicta patria alio ſeceſſit. Tenentur amici illius in foro interno ad reſtitutionem vini ablati, ſaltem pro rata portionis, quæ cuiſlibet obtigit?

β. Non tenentur ad ullam reſtitutionem; quia bona fide conſumpſerunt vinum, neſcientes eſſe furtivum. Teneantur autem reſtituere, ſi res furtiva adhuc extaret in natura, & necdum fuiſſet conſumpta, aut ſi lucrum exinde percepſſent. Unde ſequitur, quod, ſi amici Natalis ad reſectionem ordinariam vinum ſumere conſueviſſent, & ſuo proprio vino ſervato uſi fuiſſent vino Flori, quamvis bona fide, tenerentur reſtituere pro ratione lucri exinde percepti; quia evidens eſt ex lege, quod etiam poſſeſſor bonæ fidei reſtituere teneatur id, *ex quo factus eſt ditior*; quod & conforme eſt legi naturali, quæ non permittit, ut quis diteſcat ex alieno. *Pontas.*

CASUS CI. Leonardus ablata noctu ex taberna Stephani tria panni volumina ad Flavianum cognatum ſuum detulit, a quo tamen poſt octiduum furi reſtituta fuerunt. Tenentur Flavianus furti conſcius Leonardo non reſtituente ad reſtitutionem panni?

β. Cum ſciverit Flavianus furtum, illudque occulta- verit, tenetur una cum fure in ſolidum ad reſtitutionem: cooperatus eſt enim efficaciter ad furtum illud celando, & rem ablatam furi reſtituendo, quam ex manibus non dimittere, ſed potius Stephano reſtituendam curare debuifſet. *Pontas.*

CASUS CII. Nobilius conſilium dederat Cajo, ut Joanni patruo ſuo auferat 200. florenos ad ſuſtentandum commercium ſuum, cui jam prope collapſo alia ratione ſubvenire
haud

haud poſſet. Sequitur conſilium Cajus, animo tamen reſtituendi, quamprimum poſſet. Nobilius autem dati conſilii poenitens ac veritus, ne ipſe ad reſtitutionem hujus ſummæ a conſeſſario obligaretur, eo retractato ab ejuſdem executione Cajum avertere conatus eſt; ſed nil egit, & furtum fuit perpetratum. Tenentur Nobilius in defectu Caji ad reſtitutionem?

β. Cum primum Nobili conſilium, etſi poſtea retractatum, vere furti cauſa extiterit, excuſari haud poſſe videtur in defectu Caji a facienda reſtitutione. *Tenetur conſiliator aut palpo, id eſt adulator, ad reſtitutionem*, ait S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 7. C. *quando probabiliter æſtimari poſeſt, quod ex hujusmodi cauſis fuerit injuſta acceptio ſubſeuta.* *Pontas.*

CASUS CIII. Salomon & Andreas Bartholomæo clam declarabant, ſe Stephano furatum ire. Bartholomæus applauſit & conſenſit eorum propoſito, laudavit inſuper illorum induſtriam, conſuluitque, ut conceptum exequerentur propoſitum. Tenentur Bartholomæus æque ac illi commiſſo furto ad reſtitutionem?

β. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 7. C. non omnis conſenſus obligat ſemper ad reſtitutionem, ſed ſolum ille, ſine quo injuſtitia non fuiſſet commiſſa ſine ipſius conſenſu vel conſilio; ut denuo docet D. Thomas in 4. diſt. 15. q. 1. art. 5. quæſtiunc. 3. C. Cabalsutius advertit, quod dubitans, an efficaciter cooperatus fuerit ad damnum proximi, probabilius teneatur reſtituere, ſi præcipui ac primarii furti authores non reſtituant. Notandum denique, quod dantes conſilium etiam bona fide & absque omni malitia contrahant culpam notabilem, quæ in jure dicitur culpa levis, & conſequenter teneantur ad reparationem damni ſuo conſilio illati, ſi conſilium dederunt ex officio, vel honorarium receperunt ab iſis, a quibus fuerunt conſulti, ut ſunt v. g. advocati, procuratores, & alii hujusmodi: conſilia enim eorum admittuntur; quia ex ſuo illa ſuggerunt officio, & neceſſariam ad hoc habilitatem poſſidere ſupponuntur. *Pontas.*

CASUS CIV. Ulyſſes Jacobo declaraverat, ſe Petro furaturum 100. dupliones; Jacobus autem ipſi conſulit, ut tantum auferat quinquaginta, id quod executus eſt Ulyſſes. Tenentur Jacobus ob datum conſilium reſtituere Petro quinquaginta dupliones, poſito quod Ulyſſes non reſtituat? Aut ſi Ulyſſi a propoſito damnificandi Petrum penitus abducto author fuiſſet, ut Paulo potius utpote ditiori tantundem auferat, an in foro conſcientiæ condemnandus eſſet ad aliquam reſtitutionem Paulo faciendam?

3. Quoad primum Jacobus non potuit absque iniustitia huiusmodi consilium suggerere Ulyssi. Idem dicendum quoad alterum: nunquam enim licet consulere actionem jure naturali vel divino prohibitam, & essentialiter malam. Hinc in utroque casu, si Ulysses non restituat, tenetur Jacobus reparare damnum, cujus vere causa extitit pravo suo consilio. Idque clare patet ex pluribus locis D. Thomæ supra citatis, Pontas.

NOTA. Si Jacobus efficaciter ac sincere dissuassisset totum malum; nec tamen habuisset medium illud impediendi, non peccasset suadendo minus malum; manente tamen obligatione denunciandi furem modo dicto ad casum 98.

CASUS CV. Joannes & Petrus jure hæreditario successerant in bona Bernardi patris sui, qui paulo ante mortem suam Placido abstulit 100. florenos nec restitutos, nec hæredibus proficuos; quia ab ipso defuncto jam dissipati fuerant. Tenenturne Joannes & Paulus ad restitutionem?

3. Hæredes defuncti, qui bona aliena diripuit, tenentur reparare damnum furto illatum, ut ait S. Thomas q. 4. de malo. art. 8. resp. ad arg. 15. & cum juxta eundem peccatum patris transeat ad filium quantum ad poenam, Joannes & Petrus tenentur restituere hos 100. florenos. *Pœna temporalis*, inquit idem ibid. ad 7. *qua filius quandoque punitur, habet pro causa culpam in patre præcedentem.* Pontas.

NOTA. Si bona forent immobilia tantum, eaque inalienabilia vel inonerabilia sine aliorum consensu v. g. domini directi aut familiæ, eatenus obligatio ex bonis factis consumptis, nec æquivalenter extantibus non transfret ad hæredes.

CASUS CVI. Numerianus vir dives ac beneficus propinquam sibi mortem intuens condito testamento holographo pure ac simpliciter legavit duo meliorum vinearum suarum jugera cuidam conventui Religiosorum mendicantium, paupertate non minus quam regulari disciplina conspicuo. Defuncto Numeriano Zenobius ipsius filius occultato testamento duo vinearum jugera per totam vitam suam possidet; donec tandem morti proximus duobus filiis suis Jacobo & Juliano declaraverit, hæc duo jugera pertinere ad prædictum Conventum, illisque Numeriani testamentum exhibuerit cum mandato, ut Religiosos continuo in possessionem mittant, quod & fideliter executuros se sponderunt. Verum filii de adimplenda patris sui Zenobii voluntate minime solliciti, post mortem ejus diviserunt inter se hæreditatem defuncti,

in

in quam & ipsa duo jugera trahebantur, quæ Juliano obtigerant. Julianus quoque e vita migravit nulla facta restitutione, & duo ista jugera partitis defuncti bonis transferunt ad aliquem cohæredum Jacobi. Denique Jacobus actuali morbo periculose decumbens obtinere nequit absolutionem, nisi plenam Religiosis præstet satisfactionem, quam quidem præstare statuit, in executione autem gravissimas difficultates reperit; cum ipse non possideret hæc jugera, & possessor se se opposeret. Jam quæritur, quomodo hoc Jacobo propositum ad felicem exitum perducendum. Potestne cum Religiosis transigere oblata numerata pecunia, ea tamen conditione, ut singulis mensibus pro anima Numeriani privatam missam celebrent? An facta hac transactione omnis erga illos Jacobo remissa est obligatio? An in solidum una cum jugerum detentore tenetur ad faciendam restitutionem? Num, quod fructus a morte Numeriani perceptos attinet, pariter in solidum tenetur ad integram eorundem restitutionem, supposito quod ex parte Religiosorum nulla ipsis fiat condonatio?

3. Evidens est Zenobii filiorumque ejus iniustitia, quæ naturam habet quasi sacrilegii. Hoc supposito, ante omnia a Jacobo Numeriani testamentum exhibendum est publico Notario, ut communitas religiosa authenticum extractum obtineat. Quod attinet Zenobium, non debuisset illi sufficere, suis liberis solam vineæ restitutionem præcipere, sed etiam addere obligationem restituendi justum valorem omnium fructuum perceptorum; cum hæc duplex obligatio æqualiter sit necessaria. Nec Jacobus Zenobii filius nec actualis duorum jugerum possessor securam conscientiam cum Religiosis transigere possunt, nisi declarata prius veritate facti. Deinde non possunt Religiosos obstringere ad celebrandas missas, nec alia iis onera imponere, nec obligare illos ad acceptandam certam pecuniæ summam loco duorum jugerum. Denique obligatur Jacobus in solidum una cum detentoribus vineæ ad integram restitutionem Religiosis debitam; & ad hanc restitutionem tenetur ex proprio, si detentor jugerum adduci non possit, ut aliquam restitutionis partem conferat. Eodem modo in solidum tenetur ad restitutionem omnium fructuum perceptorum deductis expensis. Id quod apprime justitiæ consentaneum est, cum post mortem parentis sui semper fuerit, & etiamnum sit injustus detentor testamenti a Numeriano avo suo erecti, sicque vera & unica causa extiterit totius damni monasterio illati. *Si culpa tua datum est damnum*, inquit Gregorius IX. Cap. *Si culpa*. fin. Lib. 5. Tit. 36. *vel injuria irrogata*.

12

10,

ta, seu aliis irrogantibus opem forte tuiisti . . . jura super his satisfacere te oportet. Pontas.

NOTA. Circa fructus non amplius in æquivalenti extantes posset restitutio regulari per legem charitatis juxta dicta ad Caf. 88.

CASUS CVII. Franciscus mercator per exercitas pluribus annis usuras tria florenorum millia lucratus restitutionem jam meditat. Sed præter hæc debet bis mille florenos pro mercibus credito sibi subministratis, & omnes ipsius facultates quatuor florenorum millia non excedunt. Teneturne restituere lucrum usurarium præ aliis debitis legitime contractis?

¶ Tenetur expungere bis mille florenorum debita ante restitutionem lucri usurarii juxta Card. Cajetanum in Summ. V. Restitutio. c. 8. n. 6. & 7. Expunctis his debitis facienda est ex residuis restitutio lucri usurarii, si id non amplius existat in natura: si enim extaret adhuc, prius deberet restitui. Ratio responsionis, quam affert Gaucericus in suis annotationibus ad cit. c. 8. Summæ Cajetani, est hæc: quia justitia exigit, ut restitutio prius fiat illi, qui nullo modo consensit in amissionem bonorum suorum, quam ei, qui aliquali saltem ratione consensit, ut is, qui usuras persolvit. Si autem Franciscus præcedentes usuras solvendo, impar evasisset per debita posterius contracta, ut si v. g. debuisset solvere dotem, aut contractum quemdam gratuitum inisset; quo in casu restitutio usurarum perceptarum præferenda foret solutioni debitorum posterorum. Ratio Cajetani est hæc: quia hujusmodi contractus supervenientes usurariis debitis non debent tollere aut impedire jus illarum, quibus debent usura restitui; constat autem, quod illorum jus tolleretur ex hujusmodi supervenientibus contractibus eo ipso, quod ex illis contrahens redditur impotens ad restituendum usuras; quia in restituendo hæc, id quod debebatur pro usuris, oporteret dari pro ipsis contractibus. Idem quoad omnia hæc sentiunt Grassius Decis. aur. L. 2. c. 133. n. 8. & Navarrus Man. c. 17. n. 53. Pontas.

CASUS CVIII. Martinus cum Aurelia Parisios iter pedes faceret, offendit in Benedictum silva intermedia egressum, & ex eo sciscitatur, an silva non esset prædonibus infesta. Benedictus, qui diu occultum odium foverat erga Martinum, respondet, viam esse tutissimam, nihilque latere per culi; etsi re ipsa in tres prædones incurrerit, quos ægre equi velocissimi beneficio effugerat. Martinus iter profectus incidit in prædones, & centum, quos secum habebat, florenis spoliatur. Teneturne Benedictus in conscientia Martino restituere summam a prædonibus ablatam?

¶ Jux-

¶ Juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 7. tenetur: patet enim, Benedictum revera consensisse in furtum Martino illatum, eumque totius damni causam extitisse. Quia, ut ait Sylvius Var. resol. V. Restitutio. 1. non tantum non manifestavit fures, sed eos occultavit, mendaciter negando, eos esse in itinere. 2. Quia damnum secutum quidem est ex perversa furum voluntate, sed cui ipse per mendacium cooperatus est. 3. Quia non habuit se negative, sed positive, mendaci nimirum sua assertione juvando fures, qui prædam expectabant.

CASUS CIX. Theodorus & Mævia per quæstum peccaminosum centum florenos lucrati sunt. Tenenturne ad restitutionem, cum peccatum non sit titulus legitimus juste aquirendi?

¶ Verbis hisce: *aquirere per peccatum vel quæstum peccaminosum* multiplex potest sensus attribui. Sic 1. potest quis aquirere quidpiam titulo legitimo, etsi peccet aquirendo, v. g. dum diebus Dominicis aut festis pro mercede absque ulla necessitate peragit opera servilia, aut dum mercator præfatis diebus publice venales exponit merces suas; & in hisce casibus non datur obligatio restituendi. 2. Non tenetur restituere quis pecuniam ob admissum peccatum gratis datam, si nulla lex divina aut humana eam dari prohibeat; ut si Mævia a fornicario admitti peccati causa centum florenos accepisset. Sunt tamen Authores insignes, qui censent, ejusmodi lucra, utpote injusta, retineri non posse, sed expendi debere in eleemosynas aut alias causas pias pro satisfactione peccatorum. S. Beuve tom. 3. caf. 148. 3. Quando quis cum alio convenit de danda pecuniæ summa pro ponenda actione peccaminosa, illam recipiens tanquam stipulatam pro peccato mercedem non tenetur ad restitutionem, nisi ejusmodi conventio a lege ut nulla declaretur, aut repugnet justitiæ commutativæ: in hoc enim casu conventio est nulla, & obligatio restituendi indispensabilis. 4. Si res per peccatum acquisita includit injustitiam, restitui debet, ut si Theodorus & Mævia centum florenos lucrati fuissent per rapinam, furtum aut usuram. 5. Lucra per simoniam acquisita restitui debent pauperibus. Ex hisce principiis facilis est responsio ad casum præsentem, ponderatis exacte circumstantiis concurrentibus. Pontas.

NOTA. Hæc responsio quoad n. 3. non satis cohærere videtur cum responsione ad caf. 89. Tenendum est, omnes contractus sub conditione turpi initos esse jure naturali invalidos. Non igitur opus est lege irritante positiva

CASUS CX. Optatus inter bona Gilberti, cui ut hæres successerat, reperit aureum horologium viginti quinque duplionibus æstimatum, quod hucusque nunquam apud ipsum viderat. Novit Optatus, Gilbertum de commissis furtis vehementer fuisse suspectum, nec unquam ejusmodi conditionis fuisse, ut emere potuerit rem tanti pretii; hinc satis prudenter dubitat, an non horologium istud a defuncto fuerit furto sublatum. Teneturne Optatus pretium horologii erogare in pauperes, nemine illud reclamante?

¶. Cum dubium prudens ac bene fundatum sufficiat ad turbendam bonam fidem, Optatus tenetur omnem adhibere diligentiam ad indagandam rei veritatem; & si detexerit, horologium non pertinuisse ad Gilbertum, obligatur ad ejusdem restitutionem. Verum si adhibita omni possibili diligentia in veritatis notitiam venire non potuit, dubium ipsius defuncti esse prudens, & bona fides eum excusat ab obligatione restituendi. *Pontas.*

NOTA. Ex obligatione incerta non potest nasci onus restituendi certum. Tenemur quidem probabiliora sequi in dubio juris, non autem in dubio facti. Tenetur igitur Optatus asservare horologium tamdiu, donec spes detegendi verum dominum evanescat, sicque supponendo esse rem inventam præscribat.

CASUS CXI. Joannes, Jacobus, Petrus & Paulus adierant hæreditatem Ludovici patris sui defuncti, & cuilibet ex bonis ipsius cesserunt 10000. floreni. Ludovicus autem gravabatur debitis non nullis ante mortem necdum expunctis. An quatuor ipsius liberi obligantur in solidum ad expungenda hæc debita, ita ut duobus solutionem recusantibus, aut non habentibus, unde partem suam conferant, reliqui duo teneantur soli ad præstandam totalis summæ solutionem?

¶. Duo distinguenda sunt genera debitorum, ad quorum solutionem quis tenetur ante mortem. Alia proveniunt ex contractibus vel quasi contractibus, & sunt vel *hypothecaria* vel *personalia*; & alia proveniunt ex delictis aut quasi delictis. Si debita Ludovici sunt de primo genere & simul hypothecaria, quatuor hæredes tenentur in solidum ad ea expungenda; & pro rata partis ex hæreditate perceptæ, si sint personalia. Et hæc distinctio inter debita hypothecaria & personalia clare statuitur non solum a legibus Romanis, jure consuetudinario, & tribunalium stylo in omnibus supremis Curis universaliter observato, sed etiam a jure canonico. Si autem debita Ludovici sunt de secundo genere, quod consistit in lucris illicitis, hæredes juxta leges civiles non obli-

gan-

gantur in solidum, nisi personæ læsæ defuncto ante suam obitum actionem intentassent. Nihilominus non conveniunt Canonice hac super re, aliis hæredes semper obligantibus, aliis non nisi conformiter ad consuetudinem loci, ubi casus contingit, eos obligantibus; & hæc secunda opinio præferenda est primæ. Observandum denique quoad illicite acquisit. & ex usura provenientia, obligationem restituendi non cadere super lucra & emolumenta, quæ quis percepit ex summa usurarie aut quomodovis illicite acquisita, sed solum super ipsam summam. *Pontas.*

NOTA. Vide & sequere potius dicta ad casum 105. Si bona erant onerabilia absque alterius consensu, eo ipso in contractibus bonæ fidei præsumenda sunt fuisse jure naturali obligata per modum hypothecæ privatae.

CASUS CXII. Hyacinthus mercator possidet viginti millia florenorum legitime acquisitorum & quinque millia male partorum; moriens jam reliquit quinque millia Huberto nato minori filio per modum legitimæ; reliqua omnia transtulit in Judam filium natu majorem. Hubertus expresse monuit fratrem suum, inter bona hæreditaria patris reperiri 5000. florenos male partos, eumque ad faciendam restitutionem est exhortatus, oblata simul sua parte juxta proportionem adeptæ hæreditatis; quod tamen ut crederet, Judas adduci non potuit. Teneturne Hubertus recusante id fratre solus restituere integram summam male partorum, aut tantum pro rata portionis suæ hæreditariæ?

¶. Restitutio 5000. florenorum male acquisitorum fieri debet juxta dispositionem consuetudinis pro diversitate locorum variam. Consuetudo frequentior est, vi cujus Hubertus ad restitutionem tantum contribuere deberet quintam partem, & Judas teneretur ad residuum. *Pontas.*

NOTA. Hæc consuetudo est juri naturali conformis, nisi summa Huberto relicta in individuo foret male parta.

CASUS CXIII. Caninius in mandatis dederat Diomedis famulo suo, ut auferat Joanni crumenam 500. florenos continentem; & Afranius consuluit Diomedem, ut exequeretur mandatum heri sui. Diomedes abstulit crumenam, eamque reposuit in manus Mævix consentiente Jacobo marito ipsius, ita ut utriusque eorum furtum plene innotuerit. Julianus tandem, qui potuisset ac debuisset impedire furtum, noluit impedire. Quisnam ex his omnibus tenetur primus ad restitutionem? & hoc deficiente quis dein?

T 4

¶. Si